

2

dictæ Provinciæ unire; cùmque, suprâcitâ bullâ, datâ die 12â Julii anno 1844, Carolipolitanensis, Neo-Brunopolitanensis, Halifaxensis Episcopi, necnon et Arichatensis Episcopus (cujus diœccsis ex parte diœccesis Halifaxensis constituta est), quândo Provinciale Concilium Quebecense celebrari contingat, juxtâ Concilii Tridentini præscriptionem ad illud teneantur accedere; cùmque, secundùm ejusdem Sancti Concilii præscriptionem, suprâ dictæ provinciæ metropolitani muneris sit tam suffraganeos quàm adjunctarum diœcesium episcopos in Synodum vel Concilium provinciale convocare, ut cum ipso, sub Sancti Spiritûs præsidio, de omnibus his quæ spectant ad reprimendos abusos, ad reformandos mores, ad augendum religionis honorem suis in diœcesibus secundum canones statuunt;

Perpendentes, nobis etsi nondùm sacro Pallio decoratis, concessam tamen fuisse, Sanctæ Sedis indulto die 7â martii 1847 dato, auctoritatem exercendi, eveniente Illustrissimi antecessoris nostri decessu, quascumque functiones metropolitanas ipse exercere poterat, dùm nobis prædictum sanctum Pallium concederetur;

Nos, quantum in nobis est, hâc in parte, officii nostri muniis satisfacere cupientes, re maturè perpensâ et sacro Dei nomine invocato, Synodum seu Concilium Provinciale in civitate nostrâ Quebecensi ecclesiâque nostrâ metropolitanâ indicere et convocare decrevimus, illudque, in dictâ nostrâ ecclesia, ad diem decimam-quintam mensis Augusti presentis anni, festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis incipiendum et postea usquè in finem prosequendum, per præsentem indicimus atque convocamus.

Quocirca Reverendissimos in Christo ac venerabiles fratres Marianopolitanensem, Regiopolitanensem, Trontinum, Terrænovæ, districtûs *Nord-Ouest*, et Byopolitanum Episcopos nostros co-provinciales, necnon Carolipolitanum, Neo-Brunopolitanensem seu Novi-Brunswickii, Halifaxensem et Arichatensem Episcopos, dictæ Provinciæ Metropolitanæ à Sanctâ Sede adjunctos, eorundemque Coadjutores *cum futurâ successione*, ac alios quoscumque qui de jure vel privilegio Synodo seu Concilio Provinciali interesse debent enixè hortamur et invitamus et, in quantum necesse est, auctoritate nostrâ Archiepiscopali et ordinariâ requirimus et admonemus, eisque, virtute sanctæ obedientiæ districtè